



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

19 Possessor bonae fidei, etiamsi litiget, praesentare potest, secus si malae fidei possessor sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

providendi per novum concursum ad Episcopum; adeo ut si alteri de beneficio illo per Papam provideatur, non narrato ei modo quo vacaverit, provisio illa subreptitia est: postulat, de rescrip. cum gratia Papæ intelligenda sit sine præiudicio Episcopi, & nominati, cap. superior. de offic. deleg. de quibus nulla ei mentio facta fuit tempore quo ecclesiam illam alteri contulit.

DECISIO XVIII.

Ex cons. 18. alias 31.

Vacante Canonatu, præbenda, aut alio beneficio in aliqua ecclesia, vel loco illa ipsa die, qua sit reservatio alternatiuarum in Curia a Papæ, ita censetur ex mente Papæ, & ex consuetudine beneficium illo die vacans in reservatione præfata includi: vt collatio illius ab ordinario facta in vim alternatiuæ præcessoris nulla, & invalida omnino sit; non solum ex eo quod gratia ad beneficium Papæ facta, (qualis est collatio beneficiorum virtute acceptationis alternatiuæ Episcopis residentibus a Papa concessa) per mortem ipsius expirat, licet non si fieret usque ad beneficium sedis Apostolicæ, cap. si gratiosus de rescrip. in 6. sed etiam quia dies termini in huiusmodi reservatione alternatiuarum ex mente auctoris reservationis in termino computatur, præsertim cum id suis literis satis declararet, & quia quilibet se, suoque magis diligere præsumitur, quam extraneos, charitas enim ordinata a se ipso incipit c. si non hec. 2. q. 5. & l. præses. C. de ferui. & a. qua. Inclusio autem illius diei respicit commoditatem & utilitatem suam, & suorum familiarium & aliorum clericorum pauperum in Curia degentium, quam certum est maluisse intendere, quam episcoporum, & aliorum collatorum voluntatem, & appetitum.

DECISIO XIX.

Ex cons. 19. alias 2. de iure patronatus.

Posseffor bonæ fidei in iure patronatus, vel beneficii, siue dignitatis, ad quem præsentatio pertinet, præsentare potest, etiam si litiget super iure patronatus, vel super beneficio: c. Consultationibus de iurepat. & Inn. ibi secus autem si male fidei possessor sit: Non tamen male fidei possessor qui ex eo solum censetur, quod super illo iure patronatus, vel beneficio litiget.

DECISIO XX.

Ex cons. 20. alias 1. Ne sede vacante.

Et si electio, & institutio Canonici, & præbendæ penitentialis, quem Concilium Tridentinum sess. 29. c. 8. de ref. in Ecclesijs cathedralibus iubet institui, ad solum episcopum spectat, collatio tamen id eos pertinet, ad quos ante spectabat, nimirum, vel ad solum episcopum, vel ad episcopum, & Capitulum communiter, vel ad episcopum cum consensu, & consilio Capituli: ita vt si collatio & provisio illius pertineat ad episcopum & Capitulum simul, possit tunc Capitulum sede vacante dictam præbendam, seu Canonatum Penitentialem conferre, cum Capitulum succedat episcopo in collatione beneficiorum ad collationem Episcopi, & Capituli communiter pertinentium c. 2. Ne sede vacante, in 6. secus vero si collatio eius, vel ad solum episcopum, vel ad episcopum consensu, & consilio Capituli pertinet, tunc enim sede vacante Capitulum illum conferre non potest eo quod Capitulum non succedit episcopo sede vacante in taliu beneficiorum collatione. c. Illa, ne sede vacante. Pan. in c. cum olim de maio. & obedi.

DECISIO XXI.

Ex consil. 21. alias 14. de elect.

Episcopus non perdit ipso iure beneficia quaesita donec, & adificatur possessionem, & facultatem percipiendi fructus episcopatus sui Glo. in c. si tibi concessio de præben. in 6. & post episcopatum conferri potest ei ex causa legitima beneficium simplex DD. in c. cum nostris, de concess. præben. & cap. ad supplicationem, de renuncia. pura ob necessitatem, quia non habet fructus sufficientes ad se sustentandum: aut quia fructus sui episcopatus alij debentur, vel ab eo percipi nequeant, quia exulat, vel est absens præ-

sertim cum ecclesiæ decus sit eius honesta sustentatio, sicut esset dedecori eius mendicatio. c. Diaconi. l. d. 93.

DECISIO XXII.

Ex cons. 22. alias 14. de rebus eccles. non alien.

Poenitentiarius in ecclesia cathedrali institutus cum vniõne perpetua specialis præbendæ facti officio suæ Penitentiarie, aliam præbendam retentio ipso officio Penitentiarie optare non potest, cum vniõ, aut diuisio beneficiorum vnitorum requirat auctoritatem, & solennitatem, & iustam causam id faciendi; quam potestatem hominibus priuatis, & Penitentarijs ipsis tot vniones, vel diuisiones ad libitum faciendi Concilium Trif. sess. 24. c. 8. de ref. dedisse non est verisimile.

DECISIO XXIII.

Ex cons. 23. alias 3. de renunc.

Promotus ad sacros ordines ad titulum cuiusdam beneficii si postea reservata sibi pensione centum aureorum, aut alterius summae illud renunciat nulla facta mentione quod ad titulum illius beneficii ordinatus esset; non obstante Concilij Tridentini decreto, sess. 21. ca. 2. de ref. resignatio in foro conscientie, & etiam exteriori valida censeri debet, quia ad veritatem dispositionis copulatiuæ sufficit verificari alterum copulatiuorum quando vtrumque per se ad eandem verificandam sufficit, Gl. in c. ex parte de rescrip. & Fel. lib. nu. 23. ad hoc autem vt satisfiat menti Concilij statuentis, vt renunciatio valeat si fiat mentio de ordinatione ad titulum beneficii renunciandi, & quod renunciatio remanet id, quod ad victum eius sufficit, satis est quod remaneat ei victus honestus; cum concilium in deo hoc statuit, ne factis iniurius indecore mendicet: unde renunciatio reservando pensionem sufficientem ad honestam sustentationem, menti & intentioni præfati Concilij satisfacere videtur; & proinde renunciatio hæc valida censenda est.

DECISIO XXIV.

Ex cons. 24. alias 16. de cler. non residen.

Beneficium curatum acceptans animo non inseruiendi ei, vt conuenit, sed permutandi ob aliud simplex, vel renunciandi reservata pensione, peccat, eo quod eiusmodi acceptatio est actus planè inordinatus, cum beneficium datum sit propter officium c. si de rescrip. & ex Man. præl. 7. n. 4. actus autem omnis inordinatus in re graui peccatum est: Secus tamen si acceptet animo seruiendi eo tempore, quo ipsam tenuerit, nec renunciandi sine auctoritate superioris, c. ad monet, & ca. Quod in dubijs, de renuncia. etiam cum iustæ pensionis reservatione.

DECISIO XXV.

Ex cons. 25. in vtriusque.

Habens Capellaniam, ratione cuius debet in aliqua ecclesia quotidie residere, beneficium aliud curatum quaerere potest; Non tamen potest iuste simul illud, & Capellaniam illam retinere, sed compelli potest ad vtrum illorum maluerit relinquendum, c. præterea, de præben. & cap. fin. de cle. non resid. Pan. in c. referente, & c. de multa, de præben.

DECISIO XXVI.

Obligatus simpliciter ad Missam quotidie dicendam debita deuotione potest, secus autem si obligatus sit Missam quotilibet die per se, vel per alium, tunc enim ipse, vel alter loco illius quotidie celebrare tenetur: Patronus autem instituens multos Capellanos ad dicendam quotidie Missam vnam, in dubio intelligendus est de pluribus Missis, & non de vna tantum, ita vt non solum teneantur omnes ad vnam solum Missam quotidie faciendam, sed quilibet Capellanus quotidie Missam celebrare tenetur.